



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum vestes ministroru[m] conuenienter sint institutæ? 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

Utrum vestis ministrorum conuenienter sint in Ecclesia instituta?

169

Exod. 28.
Leu. 6.
16.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod vestes ministrorum non conuenienter sint in Ecclesia institutæ. Ministri enim noui Testamenti magis tenentur ad castitatem, quam ministri veteris. Sed inter alias vestes ministrorum veteris Testamenti erant femoralia in signum castitatis. Ergo multo fortius esse debent inter vestes ministrorum Ecclesiæ.

¶ 2 Præterea, Sacerdotium noui testamēti est dignius quàm sacerdotium veteris. Sed veteres sacerdotes habebant mitras, quod est signum dignitatis. Ergo sacerdotes nouæ legis eas debent habere.

¶ 3 Præterea, Sacerdos est propinquior ordinibus ministrorum, quam ordo Episcopalis. Sed Episcopi vtuntur vestibus ministrorum: Dalmatica scilicet, quæ est vestis diaconi; & tunica, quæ est vestis subdiaconi. Ergo multo fortius debent eis vt simplices sacerdotes.

* Greg. 1.
7. ep. 111.

¶ 4 Præterea, In veteri lege Pontifex deferēbat superhumerales, quod significabat onus Euangelij: vt dicit Beda. Hoc autem maximè Pontificis nostris incumbit. Ergo debent habere superhumerales.

In tract.
de tabernaculo et
vestibus
sacerdotis.

¶ 5 Præterea, In Rationali, quo vtēbantur Pontifices veteris legis, scribebantur doctrina & veritas. Sed veritas maximè in noua lege declarata est. Ergo Pontificibus nouæ legis competit.

¶ 6 Præterea, Lamina aurea, in qua scriptum erat dignissimum nomen Dei, erat dignissimum ornamentum veteris legis. Ergo illud maximè debet transferri in nouam legem.

¶ 7 Præterea, Ea quæ exterius geruntur in ministris Ecclesiæ, sunt signa interioris potestatis. Sed Archiepiscopus non habet alterius generis potestatem quàm Episcopus, vt dictum est. Ergo non debet

debet habere pallium, quod non habent Episcopi.
 ¶ 8 Præterea, Potestatis plenitudo residet pe-
 nes Romanum Pontificem. Sed ipse non habet bacu-
 lum. Ergo nec alij episcopi debent habere.

RESPONDEO dicendum, quòd vestes ministrorū
 designant idoneitatem, quæ in eis requiritur ad tra-
 ctandum diuina. Et quia quædam sunt quæ in omni-
 bus requiruntur, & quædam requiruntur in superiori-
 bus, quæ non ita exiguntur in inferioribus: ideo quæ-
 dam vestes sunt omnibus ministris communes, quædã
 autem superioribus tantum: & ideo omnibus mini-
 stris competit amictus humeros regens; quo signifi-
 catur fortitudo ad diuina officia exequenda, quibus
 mancipantur: & similiter alba, quæ significat purita-
 tem vitæ: & cingulum, quod significat repressio-
 nem carnis. Sed subdiaconus vltcrius habet manipulum,
 in sinistra, quo significatur extersio minimarum ma-
 cularum: quia manipulus est quasi sudarium ad ex-
 tergendum vultum; ipsi enim primo ad sacra tra-
 ctanda admittuntur. Habent etiam tunicam strictam,
 per quam doctrina Christi significatur: vnde & in
 veteri lege, in ipsa, tintinnabula pendebant: subdia-
 cono enim primo admittuntur ad doctrinam nouæ le-
 gis annuntiamdam. Sed diaconus habet amplius sto-
 lam in sinistro humero, in signum, quòd applicatur
 ad ministerium in ipsis sacramentis. Et Dalmati-
 cam, (quæ est vestis larga, sic dicta, quia in Dalma-
 tiæ partibus primò vsus eius fuit) ad designandum,
 quòd ipse primò dispensator sacramentorū ponitur:
 ipse enim sanguinè dispensat, in dispensationem au-
 tem largitas requiritur. Sed sacerdoti in utroque hu-
 mero ponitur stola; vt ostendatur quòd ei plena po-
 testas dispensandi sacramenta datur, non vt ministro
 vltcrius: & ideo stola descendit vsque ad inferiora.
 Habet etiam casulam, quæ significat charitatem: quia
 ipse charitatis conficit sacramentum, scilicet Eu-
 charistiam. Sed episcopis adduntur nouem orna-
 menta supra sacerdotes, quæ sunt caligæ, sandalia,
 succin-

succintorium, tunica, dalmatica, mitra, chirotheca, annulus, & baculus: quia nouem sunt quæ ipsi supra sacerdotes possunt, scilicet, clericos ordinare, uirgines benedicere, basilicas dedicare, clericos deponere, synodos celebrare, chrisma conficere, velles & vasa consecrare. Vel per caligas significatur rectitudo gressuum. Per sandalia, quæ pedes tegunt, contemptus terrenorum. Per succintorium, quo stola ligatur cum alba, amor honestatis. Per tunicam, perseverantia: quia Ioseph. tunicam talem habuisse legitur, quasi descendentem vsque ad talos, per quos significatur extremitas vitæ. Per dalmaticam, largitas in operibus misericordiarum. Per chirothecas, cautela in opere. Per mitram, scientia vtriusque Testamenti: unde & duo cornua habet. Per baculum, cura pastoralis, qua debent colligere vagos, quod significat curitas in capite baculi: sustentare in firmos, quod ipse stipes signat baculi: & pungere lentos, quod significat stimulus in pede baculi: unde versus.

Collige, sustenta, stimula: vaga, morbida, lenta.
Per annulum, sacramenta fidei, qua ecclesia desponsatur Christo. Episcopi enim sunt in Ecclesia loco Christi. Sed vltimus Archiepiscopi pallium habent in signum privilegiatæ potestatis: significat enim torquet auream quam solebant legitime certantes accipere.

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdotibus veteris Legis indicebatur continentia, illo tantum tempore quo ad suum ministerium accedebant: & idem in signum castitatis tunc seruandæ, in sacrificiorum oblatione feminalibus utebantur. Sed ministris noui Testamenti indicitur perpetua continentia; & idem non est simile.

Ad secundum dicendum, quod mitra non erat signum alicuius dignitatis: fuit enim sicut quoddam gulerum, vt Hieronymus * dicit: sed cydaris, quæ erat signum dignitatis, solis pontificibus dabatur, sicut et nunc mitra.

Ad tertium dicendum, quod potestas ministrorum

* in epist.
ad Fabio
lã de ves-
ste sacer.
parũ an-
te med.
30. 3.

est in Episcopo sicut in origine, non autem in sacer-
dote; quia ipse nõ confert illos ordines: & ideò magis
Episcopus, quàm sacerdos, vestibus ministrorũ vtitur.

Ad quartum dicendum, quòd loco superhumeralis
mittitur stola: quæ ad idem significandum est, ad quod
erat superhumeralis.

Ad quintum dicendum, quòd pallium succedit lo-
co rationalis.

Ad sextum dicendum, quòd pro illa lamina habet
Pontifex noster crucem, vt Innoc. dicit; sicut pro fe-
minalibus, habet sandalia; pro linea, albam; pro bal-
neo, cingulum; pro podere, tunicam; pro ephod,
amictum; pro rationali, pallium; pro cydari, mitram.

Ad septimum dicendum, quòd quamuis non ha-
beat alterius generis potestatem, tamen eandem
habet amplioem. Et ideò ad hanc perfectionem de-
signandam, sibi pallium datur, quo vndique circum-
datur.

*Al. aliã
genere.*

Ad octauum dicendum, quòd Romanus pontifex
non vtitur baculo: quia Petrus misit ipsum ad susci-
piendum quemdam discipulum suum, qui postea factus
est Episcopus Treuerensis: & ideò in diocesi Treue-
rensi Papa baculum portat, & non in alijs locis: vel
etiam in signum, quòd non habet coarctatam potesta-
tem: quod curuatio baculi significat.

*Papa cur
baculum
nõ defert*

QVÆST. XLI.

De sacramento matrimonij, in quatuor ar-
tículos diuisa.

*† Concil.
Trid. ses.
24 de sa-
cram. ma-
trimonij.*

Post hæc considerandum est de matrimonio. Et
primo agendum est de eo, in quantum est in of-
ficium naturæ. Secundo, in quantum est sacramen-
tum. Tertio, in quantum absolute, & secundum se
consideratur.

- ¶ Circa primum quærentur quatuor.
- ¶ Primo, vtrum sit de iure naturali?
- ¶ Secundo, vtrum cadat sub præcepto?
- ¶ Tertio, vtrum eius actus sit licitus?
- ¶ Quarto, vtrum possit esse meritorius?

AR-